Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2267

Quelle:
Copyright:

vocat, erroribus, quos in XII. articulos redactos exhibet, ventilandos, si libuerit, in publico cum acatholicis praeconibus congressu. 2^do. Respondet Episcopus: ad praedictos articulos dudum obviam itum fuisse, congressum ejusmodi, experientia teste, inutilem fore, cautum esse ultimis Comitiis, ne quid in Religione mutetur &c. Nihil de his Scriptis *Achil. Gassarus* in *Annal. Augstburg.* T. I. *Scriptt. Rer. Germ. Menck.* p. 1795. ad *h. a.* neque *Paulus a Stetten* in *Hist.* vern. *Augustana.* 3^tio. Insistit Senatus dato 6. *Martii* 1534. ad Capitulum Cathedr. libello per Cos. *Ulr. Reblinger* et *Magn. Seitz*, quo rursus concordia, expensio articulorum supra dictorum, et amicum colloquium urgetur. 4^to. Respondet rursus Episcopus et Capitulum scripto per duos Notarios Senatui 24. *Martii* oblato, culpam discordiarum in praecones acatholicos rejiciendo, Colloquii inutilitatem ostendendo, non tamen illud detrectando, si sub auspiciis Ordinarii Augustani institueretur, aut arbitrium aliis Principibus, Virisque doctis Academiarum deferretur. 5^to. Senatus per eosdem Consules 24. *Aprilis* oblatas Colloquii conditiones acceptat, dummodo illius Ecclesiastae coram Episcopo non tanquam *Ordinario Dillingano* Sedi Romanae, Cleroque addicto, sed tanquam *Principe aliquo Christiano* comparere teneantur, petitque, ut numerus colloquio interfuturorum definiatur. Ad hoc 6^to. reponit Capitulum: Episcopi praesidium detrectari non posse, illius standum fore judicio, aut saltem aequis partibus discedendum usque ad futurum Concilium. Et haec et reliqua, quae usque ad 2. *Aug.* prohibendis Catholicorum Concionibus et Sacrificiis, claudendisque Ecclesiis consecuta sunt, compendio tradunt *Gassarus* et *P. a Stetten junior.* ad *a.* 1534. Codex noster finit in *Decreto Senatus* de proscribendo Clero Romano *die Petri ad Vincula* publice propositio. Ad cujus calcem legitur: *Actum auff 29 tag Juli Anno 1539. Dieses buch ist durch mich Frantz Clementen Sender vonn Laugingen versamlett durch missiuen gemacht vnnd geschriebenn Im Abgeschriebenen Jar Conuentual zu Sanct Ulrich.* Coenobitae huic O. S. B. *Paulus a Stetten* in *Catal.* praevio *Scriptt. Rer. Augustan.* Chronicon tribuit ab U. C. ad an. 1536. ex quo *Acta* haec nostra descripta putem. *Corbinian. Khammius* in *Hierarch. Aug.* illum etiam autorem facit *Historicae Relationis de ortu et progressu haeresum in Germania praesertim vero Augustae Vind.* quae lucem vidit *Ingolst.* 1654. 4. *foll.* 29.

VI. Ordo divinorum Officiorum, seu *Agenda*, ut vocant, *Ecclesiastica* Protestantium. Initium absque titulo: *Sequuntur pio studio collecta cantica et descripti ritus ceremoniarum, quae obseruari deinceps debeant in ecclesiis nostris* &c. Indicantur *Missae* cum

Matu-